



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VI. Vtrum relatio prædicamentalis sit entitas realis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. VI. Vtrum relatio prædicam. &c. 801

mater non fundat paternitatem) vna enim paternitas numero in ordine ad vnum terminum genitum est, vt iam probauimus; sed duplex masculus non generat vnicum filium, quia vnus generans sufficit ad vnum genitum: ergo vna paternitas non est in duplici fundamento generante, etiam si non accipiat suam indiuiduationem à solo subiecto.

QVÆSTIO VI.

Vtrum relatio prædicamentalis sit entitas realis.

SECTIO I.

Sententia aduersaria proponitur.

P RIMA sententia docet, nullam relationem prædicamentalem dari à parte rei; sed omnem esse fictam per intellectum, ac proinde esse ens rationis formaliter tam secundum esse in, quam secundum esse ad, quo funditus è medio tollunt prædicamentum relationis: Augustinus Euguvinus lib. de perenni philosoph. tribuit hanc sententiam Averroes 12. met. comment. 9. & Avicenna 3. sue met. cap. 10. eam plures ex Philosophis antiquis defenderunt, quos citat commentator. 12. met. comm. 19. quorum vestigijs insistant ex Theologis Oxam in 1. dist. 2. quæst. 1. Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 3. quæst. 1. Henricus quodlibet 9. quæst. 3. & ex modernis Basilius Ponze lib. de varijs dispur. & alij, qui omnes putant, nullam esse rationem convincentem ad probandam relationem realem, adducunt pro se Aristotelem 5. lib. physic. tex. 10. vbi affirmat, ad relationem non terminari per se motum, & probat, quia adquiritur sine mutatione subiecti, vt si de novo Romæ fiat vnum album omnia alba in mundo existantia incipiunt habere relationes similitudinis ad illud sine vlla mutatione eorum, & omnia nigra de novo habent relationes dissimilitudinis; ex quibus sic argumentor, quia nulla entitas advenit de novo alicui à parte rei, quin per illam aliter se habeat realiter, ac antea se habebat; sed hoc est, vere mutari reale subiectum: ergo per aduentum cuiuscunque entitatis realis mutatur subiectum de novo, ita vt hoc aliter contingere non possit in subiecto creato, propter imperfectionem, & potentialitatem talis subiecti; sed relatio advenit proprio subiecto, & fundamento sine aliqua mutatione reali illius: ergo talis entitas relationis, quæ de novo advenit, non est entitas realis, sed rationis.

Secundo, quia relatio vt relatio nihil est, præter absolutam: ergo simpliciter nihil reale est in esse relationis: patet consequentia, quia cum quærimus, an relatio sit aliquid reale, de illa agimus, quatenus distinguitur à rebus absolutis, & quatenus dicit formalitatem respectivam, ita vt totum suum esse sub illo conceptu habeat in ordine ad aliud; vnde si absolutum tantum datur in mundo, nulla relatio realis dabitur sub conceptu formali relationis. Antecedens vero probatur: quia si ponamus duo alba in re-

rum natura, illa ex vi qualitarum absolutarum sunt inter se similia formalissime: ergo habent illam denominationem relativam ex vi absolutorum simul existentium, seu simul sumptorum, præcisa quacunque alia additione reali: sicut ex vi præcisa positionis nigredinis, & albedinis sine aliquo addito datur oppositio inter tales qualitates, quæ oppositio est conceptus formaliter relativus: ergo relatio nihil rei addit rebus absolutis; veraque consequentia est manifesta, quia si relatio aliquid est, solum est propter illam denominationem relativam, quæ intercedere videtur inter illa absoluta; si ergo hæc ipsa denominatio ex solis absolutis sumitur, quicquid aliud adiungitur, fictitium est.

Tertio si relatio esset ens reale ex propria natura esset accidens reale, cum constet non esse substantiam, ens enim reale adæquate dividitur in substantiam, & accidens; sed relatio non est accidens reale: ergo nihil reale est: sed fictitium, & ens rationis. Minor hæc sic probatur; de intrinseca ratione accidentis realis est inherere subiecto saltem aptitudinaliter; sed relatio non inheret villo modo in subiecto: ergo nullo modo est accidens; minorem probat, quia totum esse relationis est ad aliud, vt patet ex definitione relationis, vnde conceptus relationis est esse rationem referendi fundamentum ad terminum: ergo relatio vt relatio non respicit subiectum sed terminum, nec potest inherere in fundamento, quare non erit accidens.

Confirmatur, quia relatio non est aliud, quam comparatio duorum extremorum, vt similitudo comparatio duorum alborum eiusdem gradus, & paternitas comparatio generantis ad genitum; sed comparatio est opus rationis: ergo relatio non est ens reale, sed rationis: minor sic probatur, quia comparatio est actus intellectus, quo mens nostra vnum componit cum alio, considerando vnum in ordine ad aliud; sed actus intellectus est opus rationis: ergo comparatio est opus rationis.

SVBSECTIO II.

Sententia aduersariorum ponitur.

SECUNDA sententia docet, relationem partim esse realem, & partim rationis, realem quidem secundum conceptum, in, & quatenus existit vere à parte rei inherendo in fundamento, esse autem ens rationis secundum conceptum ad, & quatenus constituit fundamentum in esse relationis, ordinati ad terminum, & respicientis illud, quia talis conceptus ad, vt ad, non datur vere, & realiter; sed fingitur à ratione, vt significetur per illum quod generans habeat in ordine ad filium; hanc sententiam tuerentur Cardinalis Caietanus, Canariensis, & alij Thomistæ, probant sic suam sententiam.

Primo, quia ad, vt ad, prædicamentale conuenit cum conceptu ad, constitutivo relationis rationis: ergo non est aliquid reale, sed rationis; consequentia probatur, quia ens rationis cum ente reali non potest conuenire in aliquo conceptu reali, quia nihil conuenit cum altero, nisi secundum conceptum, quoniam in se habet; sed ens rationis nullum conceptum realem habet, vt de se patet: ergo ens rationis non conuenit cum ente

ente reali in conceptu aliquo reali. Antecedens sic probatur; nam ita est ad aliud relatio generis, sicut relatio paternitatis; sed relatio generis est relatio rationis, & relatio paternitatis est realis: ergo Ad, relationis realis prædicamentalis convenit cum Ad constitutivo relationis rationis.

7. Secundo, si ad, ut ad esset aliquid reale, poneret aliquid secundum illam rationem, vel in fundamento, vel in termino: sed Ad, ut Ad nihil reale ponit nec in fundamento, nec in termino: ergo non est aliquid reale; minor sic probatur quoad secundam partem, quia Ad, ut Ad respectu termini est mera denominatio extrinseca; sed denominatio extrinseca pura nihil ponit in denominato; ergo Ad, ut Ad nihil ponit in termino: prima pars illius minoris sic demonstratur, quia si Ad, ut Ad poneret aliquid in fundamento, poneret in genere causæ formalis; unde poneret, exhibendo suam entitatem fundamento; ergo informando illud; ergo Ad, ut Ad, diceret, In; respectu fundamenti; informatio enim dicitur necessaria in esse subiecto; sed Ad, ut Ad, & quatenus distinguitur ab In, nullum dicit, In; ergo Ad, ut ad nihil ponit in fundamento.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

8. Conclusio; relatio prædicamentalis ad aliquam rem esse realem, tam secundum esse Ad, quam secundum esse In; hæc sententia est totius Scholæ peripateticæ, cuius choriphaeus Aristoteles multis in locis eam aperte tueretur, & docet, tum in sua *Dialectica*, cap. de *Ad aliquam rem*, & in *metaphys.* in quo se ad magistrum suum Platonem composuit, qui in Phædone, & in Thymæo aperte asseruit relationem paternitatis, filiationis, similitudinis, & alias esse reales, & veras; Aristotelis vestigiis insistant ipsius innumera interpretum phalanges sapientissimorum lucidissimæ, quasi collatis signis in hanc sententiam æquali iudicio conspirantes, item Theologi, quorum antesignanus D. Aurelius Augustinus sua *Dialectica lib. decem categor. à cap. 1. usque ad 12. exclusivè*; ubi sic ait; tunc ergo & vere, & proprie ad aliquid dicitur cum sub vno ortu, atque occasu, & id quod iungitur, & id cui iungitur, invehitur, ut puta servus, & Dominus, utrumque vel simul est, vel simul non est, etenim cum Dominum dixeris, necessario existet, & servus, cum vero Dominum tuleris, nec servus apparet, cæterum quo pacto, vel quis, vel qui sit similis, demonstrabimus, nisi & quis similis sit, & cui sit similis personaliter indicemus; dixerat autem in principio capituli, claret igitur ad aliquid non sua vi: sed alterius conjunctione vere, & proprie in re consistere. Magistri Augustini mentem apprime callens D. Thomas huius conclusionis veritatem nobis dilucide, ac sapienter propalavit. *1. 1. q. 13. art. 7. & q. 14. art. 2. 8. art. 1. ad 2. & sæpe alias*, cuius sententiæ veritas adeo claritatis lumine decoratur, ut communem huius sæculi magistrum, eximium piique Doctorem Suarez in hæc verba prorumpere coegerit; iam vero recepta sententia, & quasi philosophicum commune axioma est, dari in rebus creatis re-

lationes reales, non solum propter rationes philosophicas: sed etiam quod sententia hæc aprior sit ad mysterium Trinitatis declarandum, & ex illo plurimum confirmari videatur.

Probatur primo, quidquid à parte rei est participabile in Deo à creaturis, potest participari ab ipsis vere, & realiter; sed relatio realis, v. g. Patris, Filij, producti, & producentis, quæ datur in Deo, est participabilis à creaturis; ergo potest participari ab ipsis, & sic non repugnabit dari in creaturis relationis reales Patris, Filij, &c. maior est certa: nam participabilitas idem est, ac capacitas, ut ab alio participetur; unde si ex parte Dei datur participabilitas, poterit ex parte creaturæ participari, quia talis participabilitas est potentia activa Dei, ut communicet creaturæ id, quod est participabile in ipsis; minor sic probatur; quia id est participabile in Deo à creaturis, quod in suo conceptu ut sic communi, & præciso non opponitur enti creato: sed relatio realis quæ reperitur in Deo secundum conceptum communem relationis realis non includit aliquid oppositum creaturæ, ratione cuius repugnet ipsi: ergo non repugnat participari ab ea conceptus relationis realis, non secundum infinitatem relationis provt est in Deo: sed secundum rationem communem relationis realis; maior patet, ideo Trinitas personarum in una essentia, immensitas, independentia, & infinitas, quæ sunt perfectiones in Deo existentes, non possunt participari à creaturis, repugnatque ipsis talis participatio, quia eiusmodi perfectiones in suo conceptu habent oppositionem, & repugnantiam cum creaturis: creaturæ enim petunt dependentiam à Deo, independentia autem opponitur dependentiæ: ergo independentia opponitur creaturæ; infinitas per essentiam dicitur limitationem, opponiturque finitudinis, quam necessario creatura includit essentialiter, Trinitas personarum cum identitate vnius essentia dicitur infinitam eminentiam, & perfectionem divinæ fecunditatis, cuius non est capax creatura, &c. contra iustitiam, misericordiam, sapientiam, intellectus, voluntas, &c. sunt perfectiones participabiles, & de facto participantur à creaturis, quia in conceptu communi, & præciso illarum, nullum includitur prædicatum; ratione cuius tales perfectiones opponantur creaturis, aut repugnent illis; unde Deus verè, & realiter communicat sapientiam, iustitiam, intellectum, & voluntatem reales, non cum infinitate, quam in Deo habent proprie divine perfectiones, quia hæc habent tales ex vi differentia, & non ex vi rationis communis; sed proportionato modo creaturarum entitati; atqui relatio realis Patris, Filij, producentis, & producti in conceptu communi nullum dicitur prædicatum oppositum creaturis; ergo relatio realis Patris, Filij, &c. licet sit participabilis secundum differentialem conceptum, quem habent in Deo, infinitudinis, &c. nihilominus poterit participari à creaturis secundum conceptum communem contractum per differentiam proportionatam creaturarum perfectioni.

Minor hæc sic probatur, quia quando concretum alicuius forme non dicit prædicatum de situ creaturæ; ratione cuius participatur de facto à creaturæ, etiam forma primario constitutiva talis concreti non dicit prædicatum oppositum creaturæ, ratione cuius repugnet participari.

Quæst. VI. Vtrum relatio prædicam. &c. 803

pari ab illis, sed potius participatur à creatura cum ipso concretum, sed concretum, pater, filius, produ- cens, & productum, participatur vere & realiter à creatura, & nullum habent prædicatum oppositum illi: ergo paternitas, filiatio, & relatio producentis & producti, quæ sunt formæ primario constituti- væ talium concretorum nullo modo habebunt prædicatum oppositum creaturis, sed potius de facto participabuntur ab illis sine vlla repugnan- tia; maior est certa. Ideo enim de facto participa- tur à Deo iustitia realis à creatura, misericordia, intellectus, & voluntas sine vlla repugnantia, quia iustum, sapiens, intelligens, & volens, quæ sunt concreta à talibus formis constituta partici- pantur à Deo, & ratio à priori est, quia impossi- bile est, quod participetur aliquid, & non partici- petur id, quod est de essentia illius, quia res si- ne sua essentia nec esse, nec intelligi potest; sicut v. g. impossibile est quod Petrus participet esse hominis, & non participet humanitatem, animam rationalem, &c. quæ sunt de essentia hominis, alias non essent de essentia illius; sed forma, quæ constituit primario concretum est de essentia talis concreti: ergo si participatur concretum, necessa- rio debet participari forma quæ primario est de essentia illius: unde sicut in concreto nulla datur repugnantia respectu creaturæ, similiter in abstra- cto nulla dabitur repugnantia, nec oppositio cum ipsa creatura.

11 Minor sic patet ex D. Irenæo lib. 4. *adversus hæres. cap. 79.* ubi sic ait: secundum igitur natu- ram, quæ est secundum cognitionem, ut ita dicam omnes filij Dei sumus, propter quod à Deo facti sumus; secundum autem dicto audientiam & do- ctrinam, non omnes filij Dei sunt, quoniam autem ita se habet hoc in Isaac, dixit, filios genitui, & exal- tavi, ipsi autem spreverunt me; & iterum quæ di- cit, filios alienos eos, ita filij alieni mentiti sunt mihi, secundum enim naturam filij sunt propter hoc, quod ab eo facti sunt sic Irenæus: D. etiam August. lib. 83. *quæst. quæst. 51.* inquit animam rationalem hominis vere filiam Dei esse, de quo latissime egi in *met. disp. 1. q. 9. vtrum metaphysica sit beatitudo naturalis*; sed filius est concretum rela- tionis filiationis: ergo concretum filiationis partici- pat creatura sine vlla repugnantia; sed demus hoc concretum non participari à creatura, quis poterit negare Adam fuisse patrem verum, & pro- prium Abel, Cain, & Seth, ipsosque verè, & pro- prie filios Adam: deinde quis inficias ibit, Isaac, fuisse filium Abraham, & Iacob filium Isaac, Io- seph, & Benjamin verè, & propriè filios Iacob, & hunc vicissim esse verum, & proprium patrem illorum; neque aliquis potest contradicere dicenti, David verè, & propriè esse patrem Salomonis, Absalonis, & reliquorum; cum hoc Sacra Scrip- tura manifeste doceat, & cum infallibili veritate asserat.

12 Item B. Virgo est creatura; sed B. Virgo est verè & propriè realiter mater Dei; ut Concilia innume- ra decernunt, atque adeo Ecclesia, ut articulum fidei omnibus fidelibus sine dubitatione creden- dum tradit; sed mater est concretum relationis maternitatis; & pater est concretum relationis pa- ternitatis: ergo participatur à creaturis sine vlla repugnantia, & oppositione pater, filius, mater, & cetera concreta relativa verè, propriè, & realiter sine vlla dubitatione.

13 Quod autem constitutiva patris, matris, filij, &c. sint relationes filiationis, paternitatis, & materni- tatis realis, pater manifeste; quia quando concre- R. P. Ildeph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. 1.

tum participatur à Deo verè, propriè, & realiter, participatur secundum formalitatem propriam, quæ in Deo est, ablata infinitate; quæ in Deo re- peritur; sicut v. g. quia creatura participat à Deo concretum generantis, causæ, producentis, &c. creatura verè, & propriè est generans, verè, & pro- priè producat, verè, & propriè est causa, quia in Deo verè, & propriè datur ratio generantis, cau- sæ, & producentis; sed ratio constitutiva patris in Deo est propriè relatio paternitatis, & ratio con- stitutiva filij est propria relatio filiationis in crea- ta, & imparticipata: ergo ratio formalis consti- tutiva patris participati in creaturis, erit vera, & propria relatio paternitatis participata, & creata, & ratio constitutiva proprii filij veri & realis erit vera, & propria relatio filiationis, nam eo modo participatur ratio formalis constitutiva concreti quo participatur concretum; sed concretum pa- tris, & filij verè, & realiter participatur à creatu- ris, & in Deo tale concretum est verè, & propriè relativum intrinsecum: ergo in creatura etiam erit verè, & propriè intrinsece relativum.

SVBSECTIO I.

Amplius confirmantur dicta.

14 P Rimo, quia vel repugnat participari relatio- nem verè, & propriam à creatura propter ratio- nem communem relationis realis intrinsecæ, aut propter rationem relationis prædicamentalis; sed propter nullam rationem ex ijs repugnat: er- go participatur relatio realis intrinseca prædica- mentalis: minor quoad primam partem est mani- festa; quia in creatura dantur relationes reales in- trinsece transcendentes, ut sunt uniones, potentie, actiones, & alia huiusmodi, quæ verè, pro- priè, & intrinsece relationes reales sunt: ergo non repugnat participatio relationis propter concep- tum communem relationis realis intrinsecæ, quoad secundam partem probatur minor: quia quando non repugnat participari maior perfectio, non repugnat participari minor à creatura intra eun- dem ordinem; sed non repugnat participari à creatura relatio realis intrinseca transcenden- talis, quæ intra ordinem relationis est perfectior essentialiter, quam relatio prædicamentalis, ut de se patet; nam potentia, quæ relatio transcenden- talis est, & anima rationalis, quæ est relatio tran- scendentis ad materiam, & ad compositum, per- fectiores sunt essentialiter, quam relatio similitu- dinis, dissimilitudinis, quæ sunt relationes prædi- camentales, ac proinde modo tenuissimi, debilissi- mi, & imperfectissimi: ergo non repugnat partici- patio relationis realis prædicamentalis propriè, & intrinsece.

15 Vigetur, quia in Deo relationes quasi transcen- dentales ut sunt intellectus, & omnipotentia quæ ordinantur verè, & propriè per relationem tran- scendentalem ad objecta in sententia adversario- rum; item relationes personales perfectiores sunt, virtualiter quam relatio spiratoris activi, quæ quasi prædicamentalis est: atqui creatura partici- pat relationem potentie productivæ, & intelle- ctus; item relationem transcendentalem persona- litatis; personalitas enim seu substantia creata ordinatur essentialiter ad suppositum consti- tuendum; unde ordo transcendentis est ad naturam, & ad personam: ergo potest participare relatio- nem realem prædicamentalem intrinsecam; vel H h h h h quasi

quasi prædicamentalem producentis in ordine ad productum; maior sic probatur: Ideo creatura participat personalitatem vere, & proprie intrinsece, quia participat naturam substantialem completam essentialiter, quæ est perfectior ipsa personalitate intra ordinem substantiæ, & quia participat creaturam rationem causæ principalis substantiæ, participat etiam rationem causæ principalis accidentis, quia genus causæ principalis substantiæ perfectius est intra ordinem causæ principalis substantiæ, & ratio à priori est, quia implicatio ut participetur aliqua ratio, quæ est in Deo, à creatura, non est propter imperfectionem, quia hæc non datur in Deo, nec propter rationem minoris perfectionis, quia huius capax est creatura; sed propter purissimam, & eminentissimam, & infinitam perfectionem, cuius non est capax creatura, ut videtur in exemplis supra adductis de independentia, immensitate, &c. Unde si in aliquo ordine formalitatis participatur à creatura maior perfectio; sine dubio talis maior perfectio non includit in sua formalitate præcisam infinitatem repugnantem creaturæ, ac per consequens, & à fortiori minor perfectio in illo ordine non includit in suo conceptu præciso infinitatem summam, & eminentissimam puritatem repugnantem creaturæ, quam non includit maior perfectio in eo ordine, sicut v.g. quia intellectus est de se perfectior voluntati in ordine intellectuali, & formalitas intellectus in suo conceptu præciso non includit infinitatem repugnantem creaturæ, & eius participatio, à fortiori voluntas, quæ est minor perfectio intellectu secundum se non includit in suo conceptu præciso voluntatis ut sic infinitatem repugnantem creaturæ; licet includat illam quatenus est divina voluntas, ac proinde si participatur intellectus intrinsece proprius, & realis à creatura, participabitur sine dubio ab illa voluntas intrinseca, vera, propria, & realis ab ipsa, quia in ordine intellectuali est imperfectior intellectu: ergo quotiescunque participatur à creatura maior perfectio in aliquo ordine, poterit participari ab ipsa minor perfectio intra eundem ordinem, quod secundum illud axioma philosophicum, quod potest magis, potest & minus in eodem genere est evidens: ergo similiter in nostro casu.

16 Secundo, quia generatio, ad quam sequitur relatio Patris in creatura, est vera, propria, ac perfecta realis generatio: ergo in Patre generante creato datur vera, propria, rigorosa, ac realis relatio paternitatis: sicut in genito vere, & realiter datur vera, & realis filiatio: hæc consequentia est manifesta: Ideo in divinis datur vera, propria, ac realis generatio activa: Item datur vera, & propria relatio filiationis, quia vere, & realiter generatur Verbum Divinum à Patre, & ratio à priori est, quia necesse est, ut generans respiciat terminum à se genitum, & terminus genitus respiciat vere, & realiter generantem: sed formalissimum respicere in genito respectu Patris est filiatio, & in generante respectu geniti est relatio vere, & realis paternitatis: ergo ubi datur vera, & realis generatio, datur vera, & realis filiatio, & paternitas: sed secundum nostram fidem, ut patet ex c. 1. Evangelij secundum Math. vnus homo verè, & realiter generat alium: tali enim cap. sic dicitur: Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, &c. & concludit, Jacob autem genuit

Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, &c.

Ergo vere, & realiter vnus homo est Pater alterius, & alius homo est vere filius alterius: ergo vere habet paternitatem vnus, & filiationem alius, quia eo modo quo est effectus formalis primarius alicuius formæ est ipsa formæ sed filius, & Pater, qui sunt effectus formales paternitatis, & filiationis sunt vere, & proprie reales: ergo paternitas, & filiatio sunt relationes generantis, & geniti: ergo in creaturis vere dantur propriæ relationes reales: consequentia illa est manifesta ex illo evidentissimo principio, ubi datur eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed in creaturis datur ratio formalis, propter quod in divinis dantur veræ reales relationes Patris, filij, & producentis, scilicet generatio, & productio vera, realis, & naturalis: nam sicut Pater æternus naturaliter generat filium proprie, & realiter, ita vnus homo proprie, vere, & realiter generat naturaliter alium hominem: ergo sicut in divinis datur propter illam rationem formalem generationis propria relatio adæquate realis, tam quoad esse in, quam quoad esse ad, etiam in creatis propter generationem veram realem dabitur vera, & propria relatio paternitatis, & filiationis tam quoad esse in, quam quoad esse ad.

Declaratur amplius, quia relatio vera, & realis est cuius totum suum esse est ad terminum, ita ut sine termino neque esse, neque intelligi possit: talis relatio; sed formalitas constitutiva Patris, & filij creati habet totum suum esse in ordine ad terminum, & non potest esse nec intelligi à parte rei sine termino; quis enim potest intelligere Patrem sine Filio, aut Filium sine Patre, unde paternitas, & filiatio sunt verè à parte rei in ordine ad aliud: ergo formalitas constitutiva Patris, & formalitas constitutiva filij est vera, & realis, tam quoad esse in, quam quoad esse ad, quia talis formalitas non est absoluta, quia absolutum non est in ordine ad terminum; sed paternitas verè, & realiter est in ordine ad terminum: ergo vere, & realiter non est absoluta; sed respectiva, & relatio.

Solum restat probandum inter vnum hominem, & alium intercedere veram, propriam, & realem generationem; quod evidenter sic demonstratur, quia nihil aliud est generatio vera, & realis nisi vera origo propria, & realis viventis à principio coniuncta in similitudinem naturæ; sed inter productum producentem, & Paulum productum ab ipso intercedit vera proptia, & realis origo viventis à vivente, quia tunc datur vera origo viventis à vivente, quando vnum vivens procedit ab alio vivente verè, & realiter, & tunc talis origo est à principio coniuncta in similitudinem naturæ, quando vivens producens communicat viventem à se productum partem suæ substantiæ, & productum est eiusdem speciei cum producente: sed Petrus generans Paulum tribuit mediante suo semine partem substantialem suam, & Paulus est eiusdem speciei cum Petro: ergo productio Pauli à Petro est vera, realis, & propria origo viventis à vivente coniuncta in similitudinem naturæ; ergo Petrus vere, proprie, & realiter generat Paulum; ergo in creaturis datur vera, & propria generatio.

Explicatur ampliùs hoc, quia ubi concurrunt omnes conditiones, & causæ naturales, & necessitate à parte rei ad aliquem effectum sine ulla

fictione intellectus & rationis necessario vere, & realiter datur talis effectus, sed inter Petrum generantem, & Paulum genitum intercedunt omnes causæ naturales, & necessariæ relationis paternitatis, & filiationis vere, & realiter sine vlla fictione intellectus: ergo sine vlla fictione intellectus vere à parte rei datur relatio adæquate, & totaliter. Maior est evidens; ideo posito igne, & approximato ad lignum datur ignis, & calor productus vere, & realiter sine fictione, quia sine fictione concurrunt omnes causæ necessariæ, & naturales talis ignis, & calor producti, & ideo posita specie impressa in potentia visiva, quæ est in proportionata distantia in ordine ad obiectum visibile, datur statim visio realis à parte rei sine vlla fictione, quia concurrunt à parte rei omnes causæ talis visionis, & ratio à priori est, quia causa realis completa necessaria statim producit vere effectum.

21 Minor illa sic demonstratur, quia omnes causæ relationis realis sunt fundamentum ratio fundandi, & terminus; sed à parte rei dantur vere, & realiter fundamentum relationis paternitatis, scilicet substantia Petri, generatio realis, & Paulus verè & realiter productus, & generatus per illam, quæ sunt ratio fundandi, & terminus sine vlla fictione: ergo concurrunt à parte rei omnes causæ necessariæ relationis sine vlla fictione vere, & realiter.

SVBSECTIO II.

Secundum principale argumentum ponitur.

22 **O**Via vel repugnat relatio realis creaturis ob imperfectionem creaturarum, vel ob perfectionem earum; sed nec ob perfectionem, nec ob imperfectionem creaturarum repugnat illis relatio realis, & ex alio capite ut dictum est concurrunt in creatura omnes conditiones necessariæ ad relationem realem: ergo datur relatio realis propriè, & vere in creaturis. Minor quoad primam partem est evidens, quia magis perfectus est Deus, quam omnis creatura: sed Deo licet sit magis perfectus (ex eo quod sit infinite talis) non repugnat relatio realis: ergo à fortiori non repugnabit creaturæ quæ imperfectior est Deo.

23 Dices, dari talem repugnantiam in creatura, & non in Deo, quia illa relatio Dei substantialis est, in creatura vero esse debet accidentaliter.

24 Sed contra, quia relationi ut sic non magis repugnat quod sit accidentaliter, quam quod sit substantialiter, quia sicut accidens dicit esse in alio, ita substantia dicit esse in se; si ergo cum hac ratione coniungi potest esse ad aliud, multo magis cum illa, & alioquin creaturæ ut sic non repugnat accidens reale: ergo nec repugnabit illi talis relatio quæ & si sit accidentaliter, aliquid rei sit.

25 Minor quoad secundam partem sic demonstratur: quia relatio ut relatio non dicit imperfectionem, quod si aliquid imperfectionis ei adiungitur ex eo quod accidentaliter est, talis imperfectio non est extra latitudinem rei creatæ.

26 Secundo evidentiùs eadem secunda pars minoris probatur; nam creatura participat à Deo rationem substantiæ spiritualis, viventis, intellectualiter, licet sint perfectiones simpliciter simplices in Deo, ac proinde maiores, ac perfectiores

virtualiter, quam relationes, non obstante imperfectione earundem creaturarum: ergo à fortiori poterunt creaturæ participare modo sibi proportionato relationes reales, quæ adhuc in Deo non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed solum secundum quid, ac proinde videntur magis proportionatæ creaturis; nam perfectiones absolutæ congruunt magis rei independenti, quia in se, & à se sunt, quam relativæ quæ sunt ad aliud, & dicunt connexionem cum alio, licet etiam relationes ut sunt in Deo, congruant ipsi, quia nullam dicunt imperfectionem, etiam si non dicant tantam, ac dicunt perfectiones absolutæ simpliciter simplices; atqui creatura est maxime dependens à Deo ex indigentia propria, & imperfectione, quia essentialiter est ab alio: ergo sicut recipit esse ab alio, debet respicere illud à quo esse recipit: ergo à fortiori secundum exigentiam propriam, & modo sibi proportionato participabit relationes reales, non obstante propria imperfectione, si non obstante ea, participat perfectiones absolutas.

27 Tercio principaliter sic argumentor, quia in creaturis datur formalitas realis, & accidentaliter, quæ neque esse, nec concipi potest, nec definiti, nisi per aliud: ergo à parte rei datur relatio realis in creatura. Patet consequentia; quia omne illud, quod definitur per aliud, & non tanquam per prædicatum intrinsecum, sed potius tanquam per prædicatum extrinsecum est relatio formalis propriæ, & veresed à parte rei dantur in creaturis vere, & realiter formalitates, quæ neque esse, nec concipi, nec definiti possunt, nisi per aliud sibi extrinsecum: ergo à parte rei tales formalitates sunt vere, & propriæ relationes. Maior est certa; nam quidquid definitur per aliud extrinsecum distinctum ab illo, quod definitur, definitur per illud quatenus dicit connexionem essentialiter, & respicit aut refertur, aut ordinatur essentialiter ad illud; sed relatio essentialiter ordinatur, refertur, & respicit aliud extrinsecum distinctum à se: ergo quidquid definitur per aliud est relatio essentialiter.

28 Confirmatur: Ideo colligimus necessario, animam rationalem esse relationem realem essentialiter, quia definitur per compositum, quod constituitur ab ipsa, quod est aliud ab anima rationali distinctione includentis ab incluso, vel per corpus, & ideo dicitur forma est actus corporis physici organici, quæ definitio est per corpus, quæ est aliud distinctione excludentis ab excluso ab ipsa anima, ut ipsi adversarii asserunt. Item omnes potentie vitales sunt relationes reales essentialiter, quia definiuntur essentialiter per obiecta distincta ab ipsis. Item paternitas in divinis est vera, & realis relatio, quia definitur per filiam, aut filiationem quæ distinguitur realiter ab ipsa paternitate: ergo quidquid definitur essentialiter per aliud distinctum à se, est essentialiter relatio, sive transcendentalis, sive prædicamentalis; nam si id, quod definitur per aliud, est de essentia rei absolutæ, quæ est quasi immediatum fundamentum illius erit relatio transcendentalis; si vero id, quod definitur per aliud aut realiter, aut prædicamentally, non sit de essentia immediati fundamenti, sed potius aut metaphysice, aut physice possit adesse, & abesse præter corruptionem immediati fundamenti illius, erit relatio prædicamentalis. Et ratio à priori est, quia quidquid definitur adæquate essentialiter per aliud habet suam definitionem in ordine ad illud adæquate, & totaliter;

H h h h a nara

nam si non haberet illam in ordine ad aliud, nulla esset ratio, cur definiretur essentialiter per illud: sed definitio adæquata essentialis obiectiva est tota, & adæquata essentia rei definitæ, & si est formalis definitio explicat essentiam eo modo quo in se est, adæquando se cum illa, ac proinde si definitio formalis est in ordine ad aliud, definitio obiectiva seu essentia adæquata rei erit in ordine ad illud, alias non erit vera, & essentialis definitio formalis, siquidem explicaret essentiam aliter ac est, videlicet in ordine ad aliud cum in se, & ex se non sit in ordine ad illud: ergo quidquid definitur vere essentialiter per aliud, vere & realiter habet totam suam essentiam in ordine ad aliud; sed quidquid habet totam suam essentiam in ordine ad aliud realiter, est vere realiter, & essentialiter relatio, ut patet ex eius definitione, quæ sic se habet, relatio est, cuius totum suum esse est ad aliud: ergo quidquid definitur per aliud, essentialiter est relatio.

29 Antecedens primum, & præcipuum sic demonstratur, quia à parte rei datur ratio formalis constitutiva Patris, scilicet paternitas, talis enim est forma in abstracto, quale est effectum formæ talis formæ, seu totum constitutum per illam in concreto; ideo enim albedo est forma albi, & humanitas ratio formalis constitutiva hominis; Item à parte rei datur ratio constitutiva filij, quæ est filiatio; sed paternitas, & filiatio nullo modo possunt esse, concipi, & definiti, nisi per aliud; v. g. paternitas nullo modo potest definiti essentialiter, nisi per filium, aut genitum; sicut filiatio non potest villo modo esse, concipi, aut definiti, nisi per Patrem, aut per generantem, ut videre est in divinis, ubi paternitas definitur in ordine ad filium genitum, & filiatio in ordine ad Patrem generantem; unde sic definimus paternitatem divinam, est ratio formalis per quam Pater respicit filium, &c. imo si aliter posset definiti, dicant nobis adversarij, quod nullo modo poterant cum veritate dicere, quia duplex tantum datur modus essendi, alius in ordine ad se, alius in ordine ad alterum; sed paternitas non est in ordine ad se, sicut Pater, qui constituitur in suo esse formali per paternitatem, non est Pater in ordine ad se ipsum, quia nullus est sui ipsius Pater; sed potius est Pater alterius à se geniti, sicut Pater non est generans se, sed alterum, alias idem à se produceretur, quod est falsum, ut patet ex illo evidentissimo principio metaphysicæ: quidquid producit, ab alio producit, cui adæquate nititur demonstratio existentie Dei: unde pater sine dubio est alterius à se geniti Pater, ac proinde Pater est in ordine ad alterum; ergo paternitas, à qua habet totum suum esse Pater, formaliter ut talis, est in ordine ad filium genitum; sed quidquid est in ordine ad alterum, est relatio formaliter: ergo paternitas, quæ est in ordine ad aliud, est relatio, & sic essentialiter definitur per alterum, quia eo modo definitur, quo habet esse; sed paternitas in creatis, item filiatio non est de essentia hominis generantis, nec filiatio est de essentia hominis geniti, sed potius distinguitur ab illis à parte rei, & sic paternitas, & filiatio possunt abesse, & adesse à parte rei, immediatis fundamentis ipsarum sine corruptione illorum, ut late demonstratum manet supra, ubi egimus, an relatio paternitatis, & filiatio distinguantur ab entitatibus fundamenti, & termini; sed formalitas illa, quæ potest adesse,

& abesse præter subiecti corruptionem est formalitas accidentaliter: ergo à parte rei datur in creatis sine vlla fictione intellectus formalitas quædam accidentaliter, quæ nec esse, nec concipi, nec definiti potest essentialiter, nisi per aliud, & in ordine ad illud. Deinde in creaturis datur sine vlla fictione similitudo, & dissimilitudo vnius respectu alterius. Item datur diversitas, & disconvenientia; nam hæc sunt veræ propositiones, homo quatenus animal convenit cum equo, & disconvenit cum arbore, & Petrus, quia est homo, convenit cum Paulo, & disconvenit cum Bucephalo; sicut Angelus convenit in esse entis creati cum homine, & disconvenit vere, & realiter sine fictione cum Deo in ratione entis creati finiti, & limitati. Item albedo opponitur realiter nigredini, & disconvenit cum illa, convenit cum alia albedine, & non opponitur ipsi: ergo datur à parte rei in creaturis sine fictione convenientia, vel disconvenientia, similitudo & dissimilitudo; atqui tales formalitates necessario sunt vnius in ordine ad aliud, quia nihil respectu sui ipsius est dissimile, & oppositum realiter actui, & formaliter: ergo tales formalitates nec esse, nec concipi, aut definiti possunt essentialiter, nisi in ordine ad aliud.

Declaratur amplius, nam sicut homo est quædam essentia absoluta sine fictione intellectus, ita independentem à ratione convenit illi similitudo in ratione animalis cum equo, dissimilitudo, aut disconvenientia in esse corporei cum Angelo, & sicut à parte rei Deus est dependens à quocunque, ita Angelus est dependens à Deo. Item B. Virgo est mater Dei, quia quatenus concepit, & peperit vere, & realiter sine fictione, non potest intelligi, nec concipi sine filio, & sine ordine ad illum; imo si non daretur aliquis intelligens per subtractionem eorum ad intelligendum, in quo casu nullum posset fingi ens rationis, ex sola naturali generatione, & conceptione, ei conveniret vera, propria, & perfecta maternitas, quia genuit filium eiusdem speciei, & essentia humane cū ipsa: ergo iam dantur à parte rei formalitates, quæ nec esse, nec concipi, nec definiti possunt, nisi per aliud; atqui tales formalitates, v. g. paternitatis, convenientia, & disconvenientia possunt destrui, & separari à subiectis, in quibus sunt, conservatis eisdem subiectis, ut supra late demonstravimus: ergo sunt accidentales formalitates, ac proinde erunt relationes prædicamentales, quia nihil aliud est relatio prædicamentalis, nisi entitas illa, quæ habet totum suum esse in ordine ad aliud.

SECTIO III.

Opinio Caietani licet argumentis supra positis oppugnata sit, specialiter tamen refellitur.

Primo, quia nullum datur à parte rei universale formaliter; sed si Ad, ut Ad, in relatione esset ens rationis, & non reale, daretur universale formaliter à parte rei: ergo Ad, ut Ad non est ens rationis, sed reale: maior est evidens; minor est probatur, quia per vos datur à parte rei formale In, relationis; sed illud formale In ut formale sine ratione Ad, est universale formaliter: ergo datur universale formaliter à parte rei: minor sic probatur.

Quaest. VI. Vtrum relatio prædicam. &c. 807

probat, quia illud est vniuersale formaliter à parte rei, quod à parte rei est, & non est indiuiduum, aut singulare specificum, id est nec habet differentiam specificam, nec indiuidualem, ratione cuius contrahatur ad esse determinatum particulare: v. g. si à parte rei daretur ratio animalis sine differentia specifica, nec indiuiduali, & separata ab omni differentia contrahente rationem illam ad esse talis speciei, esset sine dubio vniuersale illud Platonicum, quod omnino, & mere fictitium dicitur ab omnibus Doctoribus, quod ex eo dicebatur vniuersale, quia erat ratio communis separata ab indiuiduis, & ab omni differentia singularizante.

32 Sed illa ratio In, non habet à parte rei differentiam indiuidualem, & specificam, à quibus determinetur, & contrahatur: ergo illa ratio In, est vniuersale Platonicum à parte rei.

33 Dices, illud In habere pro differentia indiuiduali, & specifica, per quam sit indiuiduum singulare, rationem, & formalitatem illam Ad, vt Ad.

34 Sed contra manifeste primo, quia omnis differentia indiuiduali, & specifica identificatur à parte rei omnimodo tam realiter, quam modaliter, ac tandem ex natura rei (quod vt certum docet Caietanus, & probat, vt ipse ait, euidenter contra Scotum, in quo sequitur aperte D. Thomam multis in locis, imo & claram veritatem, vt supra probauimus late) cum ratione communi; sed ens rationis non potest identificari vere, & realiter cum ente reali, & vos asseritis Ad, vt Ad non esse formalitatem realem, sed propriè ens rationis fictum: ergo Ad, vt Ad, non potest esse differentia indiuiduali, & specifica, quæ contrahat rationem In relationis.

35 Secundo contra, quia Ad vt Ad est ens rationis; sed ens rationis non datur à parte rei: ergo Ad vt Ad non datur à parte rei vere, & realiter: ergo vere, & realiter formalitas In, non habet à parte rei differentiam specificam & singularem, licet habeat eam per fictionem intellectus: sicut homo non habet identitatem cum bruto à parte rei vere, & realiter licet habeat illam per fictionem intellectus, quia talis identitas non datur vere, & realiter à parte rei, sed fingitur; vnde à parte rei non datur chimæra, licet detur per intellectum; sed Ad vt Ad non datur in formalitate In, nec formalitas In identificatur cum Ad vt Ad, licet identificetur per rationem cum illa: ergo formalitas In, non habet à parte rei differentiam, sed potius est separata ab omni differentia indiuiduali, & specifica, licet non sit separata per rationem: ergo ratio In, est vniuersale Platonicum à parte rei, licet per rationem sit singulare.

36 Declaratur amplius, quia cui negatur ratio superior negatur ratio inferior, sicut quia albedini negatur esse animal, negatur esse hominem, & quia Bucephalo negatur esse hominis, negatur esse huius hominis; sed Ad vt Ad negatur esse ens reale: ergo Ad vt Ad negatur esse differentiam specificam, & indiuidualem: ergo Ad vt Ad non constituit rationem In, in esse singularis, & determinati entis realis; quia quod non est differentia realis, non determinat realiter: ergo ratio In manet indifferens, indeterminata, ac proinde vniuersalis.

37 Dices, sufficere differentiam rationis ad hoc, vt determinetur ratio In ad esse relationis.

38 Contra, quia differentia debet proportionari

cum ratione superiori, quia contrahens, & contrahibile proportionantur: vnde in vna entitate non potest esse ratio superior substantia, si differentia sit accidens, nec ratio superior potest esse res positiva, & differentia negatio realis; quia nullo modo proportionantur in esse contrahibilis, & contrahentis substantia, & accidens, positivum, & negatio; quia maxime differunt, & distant: sed magis distant, & minus proportionantur ens reale, & ens rationis, ens fictum, & ens verum, quam substantia realis, & accidens reale, &c. ergo à fortiori ens fictum, & ens rationis non poterit esse differentia entis realis ad constituendam speciem, & singularem entitatem realem relationis, sed potius in statu reali manebit ratio illa In relationis in esse vniuersalis, & indeterminata: v. g. licet homo habeat differentiam in statu reali, in statu intentionali manet vniuersalis; quia licet in statu reali habeat differentiam, non habet in statu intentionali, quia à genere ad genus non valet illatio: ergo e contra licet in statu ficto, & per rationem ratio In, relationis non sit vniuersalis, sed potius determinata, quia in illo statu habet differentiam rationis, nihilominus in statu vero, & reali erit vniuersalis, quia in statu vero, & reali non habet realem differentiam.

Confirmatur, quia in vno prædicamento non 39 possunt esse ens reale, & ens rationis, entia enim rationis à prædicamento expelluntur; quia nullam habent veram convenientiam, (ratione cuius abstrahatur vnus conceptus genericus, & specificus, qui omnino necessarij sunt ad prædicamentum constituendum, quia linea prædicamentalis necessario constat generibus, & speciebus) quia non potest vera relatio intercedere inter ens rationis, & ens reale; sed convenientia est relatio: ergo nulla datur convenientia vera, vt verè abstrahatur conceptus communis dictus, ac proinde habebunt maximam diversitatem, ratione cuius non poterunt coniungi in eodem genere, & specie: ergo à fortiori propter eandem diversitatem non poterunt coniungi in vnico indiuiduo, vbi coniunctio, quia est identitas, est arctior, & strictior; imo si in vno indiuiduo coniungerentur, coniungerentur vt genus, & species, seu constitutiva superiora, & inferiora eiusdem indiuidui; sed genus, & species constitutiva superiora, & inferiora eiusdem singularis indiuidui in eodem prædicamento, seu linea prædicamentali constituuntur, vt videre est in animali, & homine quatenus constituunt Petrum quæ sunt in eodem prædicamento substantiæ: ergo si ab eodem prædicamento expelluntur ens reale, & ens rationis, à fortiori debent expelli à constitutione eiusdem relationis indiuiduæ.

Deinde, quia chimæra expellitur ab omni prædicamento vt quid fictitium, & nihilominus sola vnio est fictitia, & cæteræ partes reales; quia autem constat ex tali vnione rationis, absolute exulat à prædicamento; sed relatio per vos constat ex differentia rationis, & ratione generica reali: ergo absolute debet expelli, sicut quid chimæricum à prædicamento reali.

SVBSECTIO I.

Secundum argumentum positum.

Q Via si Ad vt Ad relationis esset ens rationis, 41 tota relatio esset ens rationis fictum; sed tota

H h h h 3 12

ta relatio non est ens rationis: sed à parte rei dantur veræ, & reales relationes, vt late probatum est *sectione superiori*, & vt ipse Caietanus innumeris suis doctrinæ locis sequendo D. Thomam, docet præcipue 1. p. q. 2. 8. art. 2. & lib. de ente, & essentia, quibus locis data opera probat, dari relationes reales in creaturis, & distingui realiter tanquam rem à re à suo fundamento

42 Ergo Ad, vt Ad, quod est differentia constitutiva relationis, non est ens rationis, sed reale. Maior est evidens, quia ex ente rationis, & ente reali non fit ens reale, sed potius constituitur concretum rationis, vt patet ex constitutione vniuersalis, generis, speciei, & c. genus enim, species, & reliqua vniuersalia formaliter sunt concreta rationis, licet materiale illorum sit natura realis; item Chimæra est ens rationis absolute, ac simpliciter ex sola vniione rationis, quæ est vnum ex constitutivis illius, licet aliæ partes essentielles chimære sint reales, v. g. essentia hominis, Leonis, aquilæ, & equi, ex quibus constituitur essentialiter.

43 Et ratio evidens à priori est, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; atqui ens reale est bonum, & perfectum, & ens rationis est malum, & imperfectum, comparatione entis realis: ergo ad hoc, vt aliquid sit ens reale, debet esse ex integra causa reali, itavt nihil illius sit rationis, & e contra vt sit ens rationis, sufficit ex defectu cuiuscunque constitutivi, itavt quodcunque constitutivum illius deficiat à ratione entis realis ex eo quod sit ens rationis.

44 Sed per vos relatio constituitur essentialiter ex ratione communi reali In, & ex differentia Ad, vt Ad, quæ est ens rationis: ergo tota relatio simpliciter, & absolute est ens rationis fictum, ac proinde nulla dabitur à parte rei in creatura relationis realis, cuius oppositum supra probavimus manifeste.

45 Declaratur exemplis, quia si daretur aliquod compositum ex ratione animalis in communi, & ex differentia ficta per intellectum, totum illud deberet esse individuum fictum per rationem sine dubio, & id quod daretur à parte rei esset vniuersale Platonicum scilicet ratio illa animalis, quæ de se est communis, si aliunde à parte rei non haberet talis ratio animalis aliam differentiam realem; sed vos ponitis à parte rei formalitatem In, quæ de se est ratio communis tam absolutis, quam relativis sine aliqua differentia reali, sed solum cum differentia rationis ficta, scilicet Ad vt Ad, ex qua & ex ratione communi In, componitur relationem: ergo relatio taliter composita non est vera, & realis, sed potius ficta, & per rationem, & id quod reale est, scilicet illud In, quod ponitis sine differentia reali à parte rei, erit sine dubio à parte rei vniuersale Platonicum v. g. si diceretis, albedinem esse quoddam compositum ex ratione In, communi, seu ex ratione qualitatis, vt sic, (ratio enim, In, est ratio accidentis in communi, ac proinde communis, sicut ratio accidentis vt sic,) & ex differentia disgregativi visus, quæ non realis, sed solum per rationem fictum ens esset, proculdubio albedo illa esset ficta, & non vera, & ratio In, seu ratio accidentis vt sic esset vniuersalis: ergo similiter in nostro casu si in constitutione relationis ponitis rationem In, quæ nihil aliud est, quam ratio accidentis vt sic de se communis, & indifferens ad omnia accidentia, & ad illam rationem determinandam, & singularizandam in constitutione relationis, nullam differen-

tiam realem ponitis, sed solum Ad, vt Ad, quæ est differentia rationis, & ficta: ergo relatio non erit realis, sed ficta, & ratio illa communis accidentis, seu In, remanebit vniuersalis, quod est summum absurdum, quia à parte rei verè dantur relationes reales, & omne quod datur, aut existit, est singulare, & non vniuersale, vt supra disp. de vniuersali in communi demonstravimus: ergo nullo modo est toleranda opinio Caietani.

Dices, illam rationem In à parte rei existentem non esse communem, nec vniuersalem, sed potius esse determinatam, & singularem per differentiam propriam realem.

Sed contra, & interrogo, an talis differentia sit in ordine ad terminum verè, & realiter, vel non sit in ordine ad illum (inter hos enim terminos nullum datur medium, quia sunt termini contradictorii, affirmatio nimirum, & negatio eiusdem de eodem) si est in ordine ad illum verè, & realiter, concedis tuis ipsis verbis, verè, & realiter dari differentiam Ad, quia ad terminum necessario debet dari formalitas Ad, vnde necessario tenetur fieri in relatione non solum dari esse In reale, sed etiam verum, & reale Ad, quod antea negaveras.

Si autem talis differentia non sit in ordine ad terminum verè, & realiter, erit differentia absoluta, ac proinde constitutum ex ratione In communi, & ex tali differentia absoluta à parte rei non erit à parte rei relatio, sed potius quid absolutum, sicut quantitas est quid absolutum, quia constat ex ratione communi In, & ex differentia absoluta, & minime relativa, seu quæ verè sit Ad, terminum: ergo nulla dabitur à parte rei relatio, & si aliqua datur, erit rationis.

Imo nec dabitur vlla relatio rationis, quia omnis relatio rationis est ad similitudinem veræ relationis, sed nulla datur vera relatio: ergo nulla datur, ad cuius similitudinem fabricetur relatio rationis: v. g. si non daretur negatio, aut privatio realis, nulla daretur negatio, aut privatio rationis, quia hæc necessario fingitur ad similitudinem illius.

Confirmatur argumentum principale, quia si Ad vt Ad relationis est rationis, in illo Ad debet necessario includi ens, quia ens transcendit omnes differentias ultimas, vt videre est in relationibus divinis, in quarum Ad, includitur ens, sed non includitur in illo Ad, relationis creatæ ens reale, aliàs illud Ad non esset rationis, sed reale, quia ens reale, quod transcendit differentias, constituit necessario illas in esse entis realis, ex eo quod absolute, ac simpliciter identificatur à parte rei ratio entis transcendens, & ratio ultima, quam transcendit, vt à nobis cum D. Thoma, & ipso Caietano probatum est in metaphysica contra Scotum: ergo includitur ens rationis, atque non ens rationis per se existens, & substantiarum, tum quia in sententia Caietani, & Thomistarum non datur substantia rationis, tum etiam quia est ad constituendum accidens quod est relatio: ergo includitur in differentia Ad ens in alio, seu accidens vt sic; atqui ens in alio est verum, & formalissimum In: ergo in Ad includitur formalissimum In, ex quo In, & Ad, fiet complete relatio, quia ad relationem complete constituendam sufficit In, & Ad; sed ibi datur Ad rationis, & in illo Ad includitur In rationis: ergo iam dantur adæquate constitutiva relationis, quæ adæquate sit ens rationis secundum omnes suas partes, vnde

Quæst. VI. Vtrum relatio prædicam. &c. 809

superfluum erit illud in reale, imo impertinens ut supra probavimus.

⁵¹ Præcipue, quia ad vnum Ad sufficit vnum In, ut videre est in cæteris accidentibus, & ad vnam differentiam sufficit vna ratio communis, & etiã quia melius coniunguntur In rationis, & Ad rationis quam In reale, & Ad rationis: ergo si Ad rationis constituit prædicamentum relationis, etiã In rationis constituit ipsum, & totum prædicamentum erit entium rationis: unde non erit verum prædicamentum, quia verum prædicamentum debet constare ex veris, & realibus entibus, ut videre est in reliquis.

⁵² Explicatur amplius, quia totum esse relationis est ad aliud se habere: ergo si esse Ad est quid rationis, eo ipso etiã esse In erit rationis, ac proinde tota relatio erit ens rationis: probatur consequentia, quia intellectus non potest fingere illud esse Ad extra fundamentum; sed potius in fundamento, quia est quædam affectio intrinseca in fundamento, ut referat illud ad terminum: ergo illud esse Ad si situm est si situm, cum In in fundamento; sed illud In, non est reale, quia nullum ens rationis est realiter in aliquo; sed per rationem: ergo ipsum In illius Ad est ens rationis, quia ipse intellectus, qui fingit Ad fingit non minus ipsum Ad esse in fundamento, ac proinde tam Ad quam In sunt ficta per intellectum, ac proinde sunt entia rationis: ergo tota relatio cum toto suo esse est ens rationis.

SVBSECTIO II.

Tertium argumentum principale pro nostra sententia ponitur.

⁵³ **O**Via in sententia Caterani, & D. Thomæ contra Scotum gradus superioris, & differentia contrahens illum, non distinguuntur; sed sunt idem à parte rei formalissime: sed ratio In in relatione prædicamentali est ratio superior, & Ad ut Ad in illa relatione est differentia contrahens, & distinguens ipsa ab absolutis entibus: ergo ratio In, & ratio Ad sunt idem in relatione realiter omnimodo: ergo ratio Ad non est rationis: patet hæc consequentia, quia id quod est verum reale, non potest esse ens rationis fictum; sed ratio Ad est ratio In, quia identificatur cum illa, & non distinguitur ab ipsa, ac proinde debet prædicari de illa, & affirmari de ipsa, & ratio In, est ens reale: ergo ratio Ad est ens reale, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; sed ens reale, & ratio Ad sunt idem in ratione In: ergo ratio Ad, & ens reale sunt idem inter se; ergo ens reale prædicatur de ratione, Ad, quia quicquid prædicatur per Verbum substantivum de aliquo subiecto, prædicatur etiã de eo, de quo prædicatur tale subiectum, quod aliter contingit in prædicationibus de verbo adiectivo, quando intercedit distinctio virtualis inter aliqua, ut videre est in prædicationibus divinis, nam quia hæc est vera prædicatio, intellectus est omnipotentia, voluntas est omnipotentia, est vera prædicatio: ergo intellectus est voluntas, & nihilominus non potest dici, Pater generat per intellectum, sed intellectus est voluntas: ergo Pater generat per voluntatem; tunc sic, quando aliqua ratio superior non distinguitur ab inferiori, prædicatur per Verbum sub-

stantivum de ea; sed ratio In, quia est gradus superior, non distinguitur à ratione Ad, à parte rei, quæ est gradus inferior, seu differentia: ergo ratio In, vere, & realiter prædicatur de illa: sed ens reale vere, & realiter prædicatur de ratione In per vos: ergo ens reale vere, & realiter prædicatur de ratione Ad substantivè: ergo est verum dicere Ad ut Ad est ens reale, quia quicquid dicitur de superiori, dicitur de differentia illius à parte rei; illa minor sic probatur, quia illud est prædicatum superius, in quo plura assimilantur, & conveniunt, potestque de illis pluribus prædicari; sed in ratione In, assimilantur, & conveniunt accidentia absoluta & respectiva, ac proinde de illis omnibus prædicatur ratio In, & ideo hæc est vera prædicatio, quia sicut relatio est in subiecto, aut fundamento proprio, ita albedo, quantitas, & accidentia absoluta sunt in subiectis propriis: ergo In convenit illis, & de illis omnibus prædicatur: ergo est ratio superior respectu illorum.

Ratio autem Ad, solum convenit relationi, ⁵⁴ & est ratio qua formaliter ultimo constituitur in esse relationis, & per quam ultimo differt ab absolutis: ergo est differentia relationis, & gradus inferior respectu rationis In. Vergetur ideo animal non distinguitur à rationali, & homo à petreitate, quia animal, & homo sunt rationes superiores, & rationalitas, & petreitas sunt differentie illarum, & ideo rationale, & petreitas non possunt esse entia rationis: sed necessario debent esse entia realia, quia non distinguuntur: sed potius identificantur cum animali, & homine; constitutiva enim metaphysica distinguuntur à physicis quod metaphysica non distinguuntur inter se, physica autem distinguuntur; sed constitutio relationis per In, & Ad est constitutio metaphysica rationis superioris, & inferioris: ergo In, & Ad non distinguuntur à parte rei; sed potius sunt idem realiter: ergo si In per vos est ens reale, & non ens rationis, Ad etiã erit ens reale, & non rationis; alias idem erit reale & non reale, rationis & non rationis, quod est impossibile; impossibile enim est idem simul esse, & non esse.

Confirmatur: ratio In realis, seu accidens ⁵⁵ reale ut sic, est prædicatum transcendens omnes differentias particulares; nam v. g. disgregativum visus transcendit ab accidenti reali ut sic, quia disgregativum est etiã accidens reale, & ens in alio; sicut substantia ut sic quatenus abstrahit à completa, & incompleta transcendit omnes differentias substantiales, constituitque ipsas essentialiter, tanquam ratio superior; sed ratio In est accidens reale: ergo transcendit omnes differentias, à quibus contrahitur; atqui ratio illa, In, realis proptèr abstrahit à completa, & incompleta contrahitur in relatione per differentiam Ad: ergo transcendit talem differentiam Ad; ergo est de essentia illius, & constituit illam essentialiter: ergo Ad ut Ad in relatione non est ens rationis; quia illud de cuius essentia est, & cuius constitutivum essentialiter est ens reale, & non ens rationis, debet necessario esse ens reale, & non rationis: ideo enim rationalitas est ens reale, & non rationis, quia constituitur essentialiter ab ente reali, quia transcendit ipsam essentialiter; sed In reale transcendit Ad relationis, & constituit essentialiter illud: ergo Ad ut Ad est ens reale, & non rationis.

Declaratur:

56 Declaratur: nam audita hac voce Ad non potest intellectus non concipere ordinem vnus ad aliud; iam ergo apprehenditur ordo, vt est alicuius, & ad aliud; vt autem est alicuius habet rationem, In, quia non est illius nisi existendo in illo: ergo nullo modo potest adæquate, & perfecte cognosci sine ratione In, ratio Ad, aut certe donec illud Ad concipiatur esse in aliquo, nullum conceptum rei ea vox in nostro intellectu efficere potest, vt cuiusque compertum est, quamvis ergo illa vox Ad, non ita expresse significet rationem In, quia tamen ita connexa sunt ratio Ad, & ratio In, vt Ad sine In cogitari nequeat, sit vt audita voce Ad non possit non apprehendi ratio In quod non habet vox In, quia audita illa, non statim apprehenditur ratio Ad, quia latius patet, quia non omnis forma, quæ est in alio, est ad aliud, seu ad aliud, est necessario in alio, vnde colligitur necessario rationem In, esse de conceptu Ad, non autem contra; præcipue, quia In est vnio ad subiectum, vel ordo ad illud, quem dicit ipsum esse, Ad: sed Ad rationis non potest vniri realiter ad subiectum, nec potest dicere relationem realem ad illud: sicut chimæra non est similis, nec dissimilis realiter equo, quia sicut ipsa est rationis, similiter accessorium illius, relatio nimirum, quia accessorium sequitur principale, vt est axioma Iurisperitorum, debet esse etiam rationis: ergo si In est reale, vnio, & ordo erit realis: ergo vtrumque extremum illius vnionis, & ordinis est reale; sed vtrumque extremum est subiectum, in quo est Ad, & ipsum Ad, quod vnitur tali subiecto: ergo subiectum, & Ad sunt entia realia, vt vnio sit realis, alias vnio erit rationis, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo Ad vt Ad, quod vnitur per illud, In, est reale, & non rationis.

57 Deinde, quia in sententia Caietani nomen analogum non significat aliquam rationem abstractam ab analogatis: sed proxime denotat ipsa analogata, ex quo sequitur in omnibus modis intrinsecis prædicamentorum, etiam in ipso Ad, intrinsece includi rationem, In, quæ hoc nomine, Accidens, significatur: probatur sequela, quia ratio accidentis per vos est analogica, ad relationem, qualitatem, quantitatem, &c. nam relatio est modus, & qualitas res, & admodum, & rem nihil est vniuocum per vos. Præterea, quia relatio habet aliquid rationis, & quantitas est tota realis; sed ad ens rationis, & ad ens reale nihil datur vniuocum: ergo ratio In, seu ratio accidentis est analogica. Denique, quia maior convenientia datur inter materiam primam, formam equi, & quantitatem, quæ sunt adæquate realia, quam inter accidentia adæquate realia, & modum, qui partim habet aliquid realitatis, & partim aliquid rationis; sed inter materiam, formam, & quantitatem non datur vniuoca convenientia, sed analogica: ergo à fortiori inter relationem, & quantitatem non est vniuoca: sed analogica convenientia. Tunc sic nomen analogum non significat aliquam rationem præcisam, & separatam ab inferioribus; sed significat omnia inferiora esse talia, quale est nomen, id est omnia includere quod significat nomen analogum: sed nomen analogum denotat In, seu accidens reale, & accidens reale sunt inferiora, qualia est ipsum accidens reale; ergo inferiora seu

plura significata per illud nomen analogum In, sunt realia, & non rationis; Ad rationis esse communitate per illud nomen analogum sunt quantitas, qualitas, & relatio: ergo quantitas, qualitas, & relatio adæquate, & totaliter sunt realia, & non rationis, ita vt nihil sit in illis, quod non sit reale: sed Ad, vt Ad est in relatione constituto ipfam per modum differentia: ergo Ad, vt Ad est reale, & non rationis.

SVBSECTIO VLTIMA.

Vltimum argumentum ponitur.

Andem P. Suarez destruit assertum illud Caietani (asserentis, Ad rationis esse commune vniuocum relationibus rationis, & rebus) hoc discursu, quia ens rationis non est aliquid simpliciter: sed potius est vere, & realiter nihil, & sic est aliquid fictum; ergo non potest habere veram similitudinem cum ente reali, in qua convenientia fundari solet vniuocatio, & vnitas conceptus: ergo nec potest aliquis verus conceptus, & essentialis esse communis enti reali, & rationis, & ideo merito Sonzinas assertum non magis posse ens esse vniuocum ad ens reale, & rationis, quam sit vniuocum homo ad hominem vivum, & mortuum, & vt alii dicunt, quam sit Deus vniuocum ad Deum verum, & ad fictum, seu idolum; habent autem hæc dicta eandem rationem veritatis in ente in communi, & in tali ente scilicet relatione, quia sicut ens rationis non est verum ens sed fictum, ita relatio rationis non est vera relatio sed ficta, vel quasi picta per intellectum.

Dices, hoc verum esse de integro, & completo conceptu relationis, de quo procedit ratio facta, non tamen ita procedit de præciso conceptu ipsiusmodi vltimo constitutivi relationis, qui per hanc vocem, Ad, significatur.

Verum tamen contra hanc evasionem eandem vim habet ratio facta; nam vel illud esse ad propterea est modus constitutus relationem realem, est etiam realis, vel est tantum ens rationis, hoc secundum dici non potest, alioqui relatio realis non habebit proprium, & formale constitutivum, quæ est implicatio in adiecto, quomodo enim potest ens reale vt sic per id, quod reale non est, constitui, quia quod nihil reale est, nihil reale potest constituere; si autem illud Ad in relatione reali est modus realis, rursus interrogo, an in relatione rationis sit etiam verus, & realis modus, vel tantum per intellectum constitutus; primum dici non potest, quia repugnat relationi rationis, de cuius essentia est, vt non dicat habitudinem in re existentem; sed in mentis comparatione, quia contradictionem implicat, quod ens fictum existens tantum obiective in intellectu per modum realem, & in re ipsa existentem constituitur; est ergo illud esse, Ad, in relatione rationis purum ens rationis: ergo sicut non potest dari conceptus communis vel vniuocum ad ens reale, & ens rationis, vel ad relationem realem, & rationis secundum completum conceptum relationis: ita nec esse Ad vt sic præcise conceptum potest dicere vnum commune conceptum vniuocum ad esse Ad relationis realis & rationis, quia non magis potest esse inter hæc vera similitudo, & convenientia, quam inter quælibet

Quæst. VI. Vtrum relatio prædicam. &c. 811

libet alia entia realia, & rationis, nec magis potest in his, quam in cæteris intelligi, qualis sit ille conceptus abstractus à formalitate reali, & rationis, aut qualis esse possit contractio, vel determinatio talis conceptus ad ens reale per modum realem, & ad ens rationis per modum rationis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

⁶¹ Ad primum ex Aristotele desumptum respondeo, distinguendo duplicem mutationem; unam propriam, & per se intentam à natura; aliam communem, & quasi per accidens; propria, & per se mutatio est quæ per se intenditur à natura data opera, proceditque à principio quasi intrinseco rei, per quam mutationem movetur corpus, ut bene notat P. Rubeus ad recipiendam in se aliquam perfectionem absolutam, ut materia ad recipiendam formam substantialem, vel accidentalem, ut quantitas, qualitas, &c. communis mutatio dicitur, quæ non procedit à principio per se ordinato ad talem mutationem, nec per se primo intenditur à natura; sed quasi per accidens sequitur, & per primum genus mutationis non potest acquiri, aut fieri relatio, quia natura non intendit per se productionem relationis, cum non sit perfectio absoluta rei; sed sequitur quasi per accidens in utroque extremo ad acquisitionem alicuius formæ absolutæ, atque per se intentæ in eis, vel saltem in aliquo eorum ut in exemplo adducto de Albo Romæ factæ de novo, ex cuius mutatione intrinseca mutantur omnia alba, quæ sunt in mundo, & acquirunt novas relationes: bene ergo docet Aristoteles ad relationem non terminari per se mutationem, aut motum propriissimum, & per se; sed acquiri sine illo, non tamen docuit Aristoteles, quod sine mutatione reali, saltem per accidens intentæ, & communi acquiratur relatio, cum verum sit, ac necessarium, ut subiectum quomodocunque acquirat de novo respectum realem, aliter se habeat nunc, quam prius à parte rei, quæ est definitio mutationis realis; satis est autem per mutationem communem realem acquiri, ut sit verum ens reale. Unde absolute, ac simpliciter negatur, relationem sine aliqua mutatione reali acquiri, quia resultantia relationis de novo mutatio intrinseca realis est in subiecto, in quo resultat relatio, licet verum sit, quod talis mutatio non sit per se intentæ à natura, quod non tollit, ut id quod resultat per illam mutationem communem sit aliquid reale à parte rei, & non fictum per intellectum.

⁶² Ad secundum respondeo dicendo, tale argumentum non probare, relationem non esse aliquid reale; sed potius probare relationem non distinguui ab absolutis, ex quo non sequitur, nihil reale esse; sed potius ex vi illius argumenti probatur esse à parte rei aliquid, nam sicut ipsa absoluta sunt aliquid, ita relatio, quæ non distinguitur ab absolutis, sed est idem cum illis aliquid est reale, id est res absoluta à parte rei, seu eadem entitas cum absolutis, sicut, v. g. ex eo quod rationale non distinguatur realiter ab animali non debet colligi: ergo rationale nihil est à parte rei, & etiam quia omnipotentia, & cæ-

R. P. Ildaph. de Peña rei Theol. Schol. Tom. I.

tera attributa non distinguantur à Deo, vltimo modo à parte rei, non ideo debet colligi, talia attributa nihil esse, sed potius recte colligitur, esse aliquid reale divinum infinitum, & increatum: ergo similiter ex eo, quod relatio non distinguatur ab absolutis, non debet colligi, non dari relationem à parte rei; sed potius dicendum est, dari relationem à parte rei non distinctam ab absolutis: nam P. Franciscus Suarez, sine dubio sentit, relationes prædicamentales non distinguui ab absolutis fundamentis, & nihilominus nunquam negavit relationem realem prædicamentalem; sed potius concessit, tam vere dari illam, sicut absolutum, quia est idem cum absoluto; neque vllus Philosophus (etiam adversarij) negavit, dari relationes reales, & veras transcendentales, & nihilominus omnes dicimus, non distinguui à rebus absolutis, quia sunt adæquate de essentia illarum; neque passio definit constituere speciale genus entis metaphysicum, scilicet prædicamentum passionis distinctum à prædicamento actionis, ex eo quod sit idem cum actione, & non distinguatur vltimo modo à parte rei ab illa formaliter. Tandem secundum fidem catholicam est certissimum, dari veras, proprias, & reales relationes in divinis, & nihilominus tales relationes non distinguuntur realiter; sed potius realiter identificantur cum divinitate absoluta: ergo similiter licet relationes prædicamentales nihil sint præter absoluta, (de quo supra late egimus, ubi probavimus data opera distinguui relationem à parte rei ab absolutis) quia identificantur cum illis, nihilominus erunt veræ, & reales.

Neque refert, quod relatio, ut relatio prædicatur ab absolutis, quia non præcinditur, ut aliquid per rationem constitutum; sed ut à parte rei existens vere, & realiter.

Ad tertium concedo maiorem, nego minorem; ⁶⁴ ad probationem illius, concedo item maiorem, & nego minorem, ad probationem illius concedo antecedens, & nego consequentiam quoad primam partem, quoad secundam concedo, id est in quantum docet, respicere terminum, & tandem nego vltimam partem illius: nam licet relatio habeat totum suum esse in ordine ad terminum, nihilominus est modus fundamenti existens in illo, & ideo ipsi adversarij asserunt in illo antecedenti conceptum relationis esse rationem referendi fundamentum ad terminum; sed non potest relatio referre fundamentum ad terminum, nisi inherendo in fundamento: ergo inheret in illo tanquam accidens, aut modus accidentalis illius; sed accidens respicit fundamentum, ut subiectum: ergo relatio respicit illud, & ordinatur ad ipsum, qui ordo est communis respectu accidentium absolutorum, & relativorum, præter hunc autem ordinem relationes habent ordinem ad terminum, seu sunt ipsi ordines ad ipsum, per quam rationem distinguuntur ab accidentibus absolutis.

Ad confirmationem concessa maiori, distinguo ⁶⁵ minorem, quia duobus modis comparantur aliqua, primo ex natura rei, quia rationes naturales eorum non sunt tales absolute; sed ad alterum, ut sunt similia, aut æqualia; pater, & filius, & talis comparatio non est opus intellectus, seu rationis; sed sine dependentia à ratione reperitur in natura aliquarum rerum, alia est comparatio, quam non habent res ex propria natura, quia

quia non sunt distinctæ, aut cum sint, solum absolute concipiuntur in ordine ad aliud, & talis comparatio est opus rationis; primam igitur comparationem includunt in suo conceptu relationes reales, aliam vero relationes rationis, & ideo prima comparatio tanquam realis pertinet ad hoc prædicamentum, secunda vero tanquam non realis excluditur ab eo.

66 Ad argumenta secunda sententiæ patet ex dictis *subsect. ultima* in probatione nostræ conclusionis contra Caietanum, unde respondeo, Ad relationis realis, & Ad relationis rationis non convenire inter se vere, sed fictitie, & per rationem; ac proinde nihil vere commune dari utrique; ratione cuius nihil potest abstrahi ab utroque Ad. Unde falsum est dicere, quod in probatione antecedentis docent adversarij, videlicet ita esse ad aliud relationem generis, sicut relationem paternitatis, nam relatio generis non est vere, & proprie ad aliud; sed fictitie, relatio autem patris est vere, & proprie ad terminum genitum, & sic nulla datur similitudo vera in hoc modo referendi.

67 Ad secundum concedo maiorem quoad primam partem; nam Ad ut Ad, ponit aliquid in fundamento, quod refert, quia non posset referre illud, si non esset intrinsece in illo; unde ad probationem concedo Antecedens, & consequens, & nego minorem illam ultimam ut patet ex dictis, & magis liquebit ex dicendis.

QVÆSTIO VII.

Utrum relatio secundum formalem rationem relationis dicat perfectionem?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem realem nullam dicere perfectionem in suo conceptu formali, ita multi ex Thomistis. Probatur primo, quia si relatio quatenus relatio est, diceret perfectionem, sequeretur, quod in divinis una persona diceret perfectionem distinctam à parte rei ab ea, quam alia dicit; sed hoc est absurdum: ergo relatio, ut relatio nullam dicit perfectionem: maior sic probatur, quia una persona constituitur relatione reali, per quam non constituitur alia; sed per vos relatio est perfectio: ergo una persona habet perfectionem quam non habet alia: minor illa sic probatur, quia unaquæque persona est infinite perfecta: ergo habet omnem perfectionem in se; hoc enim sonat esse infinite perfectam; sed si una persona non haberet perfectionem, quam dicit alia, talis persona non diceret omnem perfectionem, cum non haberet illam, de qua agimus: ergo non esset infinite perfecta quod est falsissimum.

2 Confirmatur, quia ex opposita sententia sequeretur, unam personam divinam v. g. Patrem non esse perfectam, quia teste Aristotele 1. *physic. cap. 3. & 5. met. cap. 16.* perfectum est, extra quod nihil est, hoc est, cui nihil deest; quare si

Patri æterno deest aliqua divina perfectio, non erit perfectus; sed filiatio est divina perfectio distincta à paternitate: ergo cum Patri deest filiatio, deest ei aliqua divina perfectio, & erit Deus imperfectus.

Ultimo, quia perfectio rei est integritas absoluta, & realis; sed relatio, ut relatio neque est absoluta, nec realis: ergo non dicit perfectionem.

SECTIO II.

Nostra conclusio ponitur, & probatur.

Conclusio; relatio realis prædicamentalis dicit bonitatem, & perfectionem, & probatur.

Primo ex Scriptura Sacra, nam *Genes. 1. dicitur*; vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; sed Deus fecit relationes reales prædicamentales existentes in Angelis, quibus respiciunt Deum, & per quas ad invicem ordinantur: Deus enim immediate per se ipsum producit, vel per se solum, vel simul cum creaturis omnem creaturam, quia omnis creatura est ens secundum, & participatum, ac proinde dependens à Deo; atqui relationes reales prædicamentales secundum ultimum sui sunt creaturæ: ergo producuntur, & sunt omnes à Deo: ergo omnes relationes sunt valde bonæ, hoc est in sua ratione sunt perfectæ, alias quomodo verificaretur locus supradictus *Genesis*, vidit Deus omnia, quæ fecit, &c.

Hoc ipsum colligitur ex Doctoribus Ecclesiæ, nam D. August. *lib. 83. questionum, quest. 24.* omnia, quod est, inquit, in quantum est bonum est, & *lib. 1. de doctrin. christ. cap. 32.* cum dixisset, Deum esse, qui summe est, ait; at cætera, quæ sunt nisi ab illo esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum esse ab eo acceperunt, ut sunt, & *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 15.* dixit: quidquid est, sicut esse debet, bonum est, & Boëtius *lib. 2. de hebdomadis, cap. 2.* quicquid est inquit, in eo, quod est, bonum est; elegantius Nazianzenus: quomodo, inquit, non bonum, quod à fonte bonitatis profluit, Deus enim plenitudo bonitatis, omnia bona, etiam minutissima perpetravit.

Quæ omnia prius asseruerat Aristoteles *lib. 1. 7. Ethic. cap. 6.* dicens, bonum æque dividi, ac ens, & per omnia prædicamenta vagari, & expressius dicit; bonum, & in substantia dicitur, & in quanto, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid, ubi D. Thomas, bonum converti cum ente ait, quod in decem prædicamenta dividitur.

Ex quibus omnibus sic argumentor: secundum mentem, & verba Doctorum constat, omnem ens esse bonum; sed relatio realis creata est verum ens reale: ergo est bonum quod est perfectum. Deinde Aristoteles ait, bonum esse in eo, quod est ad aliquid; sed id, quod est ad aliquid, est relatio: ergo in relatione est bonitas, seu perfectio.

SYBSECTIO